



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. III. solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

etiam Divina Sapiencia Ecclesiastici 24. dicit se ex ore Altissimi (id est intellectu Patris) produisse: Ergo actus quò Deus ad extra producit creaturas, non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum, ut motum à voluntate.

Sicut igitur Pater æternus producit Filium per dicere notionale, ita & omnes Personæ Sanctissimæ Trinitatis, produciunt creaturas per dicere commune & essentielle; sive per actum imperii, formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem. Imperium autem, ut docent Theologi cum sancto Thoma 1. 2. quæst. 17. tria importat: scilicet directionem, intimationem, & motionem: duo prima habet intellectus à seipso, tertium verò illi communicatur à voluntate, quæ est primum movens quantum ad exercitium: nam hæc duæ potentia, quoad suas operationes, se mutuo juvant; intellectus dirigit voluntatem, & illam determinat ad speciem actus: voluntas movet, & applicat intellectum, illumque determinat ad exercitium: unde sicut ordo qui reperitur in actibus voluntatis, est ab intellectu dirigente, & ordinante; ita & vis movendi quæ reperitur in actu imperii, est à voluntate movente, & applicante. Unde ex hoc triplici actu, scilicet ex directione, & intimatione intellectus, ac motione voluntatis, coalescit actus efficax imperii divini, quòd non solum dirigitur ad creaturas rationales, sicut imperium humanum & politicum, sed etiam ad insensibiles & inanimatas; nam Deus vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, & insensibilia illi ut sensibilia obediunt. Unde Job. 3. mari dixit, *Usc, huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Et Joan. 11. Christus ait Lazaro mortuo, *Lazare veni foras.* Et Matth. 8. *Imperavit ventis & mari.* Ubi eleganter Hieronymus: *Ex hoc loco intelligimus: quòd omnes creaturæ sentiunt Creatorem imperantem, non errore Hæreticorum, qui omnia putant animata: sed majestate conditoris, cui sensibilia sunt, quæ apud nos sunt insensibilia.* De actu imperii plura dicemus in Tractatu de prædestin. sp. 1. art. 3. & in Tractatu de actibus humanis, disputatione 11. per totam.

§. III.

Solvuntur objectiones.

37 Contra istam conclusionem obijci potest: Productio creaturarum in Scriptura sæpe attribuitur divinæ voluntati: dicitur enim Psal. 114. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Et ad Ephel. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ergo potentia immediate operativa in Deo, non est intellectus, sed voluntas.

Confirmatur: D. Thomas infra quæst. 19. art. 4. ad 4. ait, quòd *ejusdem effectus scientia in Deo est causa ut dirigens, voluntas ut imperans, & potentia ut exequens:* Ergo secundum D. Thomam, scientia in Deo non concurrens effectivè ad productionem rerum, sed tantum directivè.

38 Respondeo quòd cum actus imperii quòd Deus producit creaturas, pertineat partim ad intellectum, partim ad voluntatem, modo supra explicato; Scriptura interdum attribuit productionem rerum divinæ volitioni, scilicet tanquam causæ moventi; interdum verò ejus dictioni, & locutioni, tanquam causæ operanti, & exequenti. Unde Apostolus dicit, quòd *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ubi, ut notavit Glossa, prius ponitur consilium, quòd pertinet ad intellectum, & postea additur, *volun-*

tatis suæ: ut per hoc significetur, quòd intellectus divinus, ut motus & determinatus à voluntate, est causa rerum.

Ad confirmationem dicendum est, quòd quando Sanctus Thomas ait quòd *scientia in Deo est causa dirigens*, loquitur de scientia simplicis intelligentiæ, quæ concurrens tantum directivè ad productionem rerum, unde addit, *Scientia quæ concipitur forma operis.* Quibus verbis aperte significat, se loqui de scientia, quæ continet ideas rerum possibilem, quæ est scientia simplicis intelligentiæ. Cum verò subdit, quòd *voluntas se habet, ut causa imperans*, loquitur de imperio, quatenus importat motionem & impulsivum: sub qua ratione (ut diximus) pertinet ad voluntatem, non verò ad intellectum. Denique quando subjungit, quòd *potentia se habet ut exequens*: per illam potentiam exequentem, significat ipsum intellectum, ut practicum, & ut motum ac applicatum à voluntate: sub qua ratione gerit vires potentia executivæ in Deo, & est immediatum principium operationis ad extra: unde ibidem ait, *intellectus speculativus nihil dicit de operando.*

100 Quod si aliquis contendat, per potentiam illam exequentem, S. Doctorem significare potentiam aliquam virtualiter distinctam ab intellectu & voluntate, dicendum est cum Cajetano & Alvare, illum id correxisse, seu potius magis explicasse infra quæst. 25. art. 1. in solutione 4. argum. ubi dicit, *scientia divina, secundum quòd est principium effectivum, habet rationem potentia.* Quibus verbis aperte declarat, scientiam Dei ut applicatam per decretum, habere rationem potentia operative ad extra, per actum imperii.

DISPUTATIO IV.

De scientia futurorum contingentium.

Hic aggredimur gravissimas hujus temporis, & Tractatus quæstiones, ac controversias; & relicto, ut ita dicam, littote, in altum ducimus; ut Christus dicebat Petro Lucæ 5. id est (ut explicat D. Ambrosius) *in profundum disputationum ingredimur.* Agimus enim de scientia futurorum contingentium, quæ notrix & contentiones inter Patres Societatis & Thomistas excitavit. Verum cum notitia cujuslibet scientia ex objecti sui cognitione maxime pendeat, priusquam celebres illas controversias discutiamus, tria in hujus disputationis limine præmittenda & declaranda censuimus, quæ magnam lucem afferent his quæ in toto ejus decursu discuturi sumus; nimirum quid sit futurum, quid contingens, & quotuplex detur futurum contingens? Unde sit

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit futurum contingens?

§. I.

Resolvitur prima pars quæstionis, & declaratur in quo essentialiter consistat futurius.

Dico primò: Rem constitui in ratione futuræ, per determinationem, præparationem, & ordinationem causarum ad illius productionem: ac proinde futurum rectè definiri, quòd est determinatum in causa ad habendam existentiam productione sequenti. Est contra plures ex Recentioribus,